



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Brynolphus Ep. 6. Februarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

machinabantur, oculis amissis facinus suum, & cum hoc, post preces illius, diem iterum viderunt. Feminæ quoque lucem restituit, cùm primùm arborem illa aggressa est excindere, quam divinis antè honoribus (cæca utique) coluerat. Mortuum Aldegundis virgo in cælum vidi deduci ab obviâ candidatorum turbâ, audiitque eos hos esse, quos verbis vitæque exemplis prior ipse cælo transmisisset. Nimirum hæc denique generofa in doles est, hi digni homine spiritus, nolle solum, sed cum comitatu, & clientelis cælum ingredi. Ex Milo. Monacho.

Qui sperat in Deum, ac toto corde in ejus gloriam luminum suorum defigit aspectum, ad insanissimas vanitates consecratos semel Deo non debet oculos retrahere. S. Max. hom. de Circumcis.

S. BRYNOLPHUS EP. 6. Februarii.

Natales BRYNOLPHVS domi nobiles foris amplius nobilitavit. Lutetiam Parisiorum profectus egit Musas inter ipsos duodevigiñti annos, nec invito Apolline. Siquidem hic doctrinam ejus Scarensi infulâ coronavit. Tantum abest, ut geniis splendori officiat Musarū commercium. Quin imò literatæ huic infulæ armatam coronam Rex Magnus Ladelos submisit, quando BRYNOLPHO ad genua supplex palam descendit, & mensæ adhibuit. Sed quid virtutis testem hominem adduco, cùm cælum habeam. Precantem ad tumbam BRYNOLPHI D. Brigittam suavissimi odores afflarunt. Miranti supervenit cum ipso BRYNOLPHO FILIOQUE MAXIMO MATER MAGNA, & His, (simul oculis digitoque BRYNOLPHVM loquebatur) hic est, dixit, qui me dum vixit, vitâ chariorem

D 5

habuit.

habuit. Flosculum hunc tu ex odorum reliquiis , quas
in terris reliquit , aestima. Et tamen (ad Filium hæc
dicebat) gemma hæc tumulo ignobili abdita pulchrius
nitere prohibetur. Quin amplius colis , qui tantum te,
tantum me coluit ? Quid Matri Filius negaret ? pro-
misit tunc ossibus sacris eum honorem , quem
postea ab altero Episcopo tulerunt. Ego quid hic
exclamem : utinam me omnes audiretis MARIAE
Sodales ! O quam pulchrum est digito Virginis
monstrari ! quam pulchrum dicier : HIC EST ! Ex
Vite Aquilon. Ioan. Vastov.

Celestis Pater probat muneribus charitatem : Filium
se nescit , visceribus caret , naturam negat , ingratus est
patri , qui auctorem vitæ sua non placat obsequiis , non
devincit culu , muneribus non honorat . S.Pet.Chrys.
serm.10.

S. THEODORUS M. 7.Februarii.

VNâ virtute Christianâ armatus THEODORVS
Centurio patriæ terrorem draconem confe-
cit. Et erat hoc pugnis majoribus præludere :
monstrum alterum majusque Licinius Imp. immi-
nebat. Hic siue quòd eam fortitudinem in milite
amarer , siue , quòd invideret Christiano , ad se
THEODORVM evocavit. Quin , cùm hic nuntias-
set , si ad se ipse Imp. cum Diis suis accederet , fore
ut hos merito honore coleret , non dubitavit Li-
cinus , ut superstitioni virum tantum adderet ,
iter ad illum insituere. Interea cælum pandi vi-
debatur THEODORO , atque inde prodire , qui telis
igneis dormientem configerent . vox quoque
ejusmodi allapsa : Macte animo Theodore , quando ego
tibi adero. Facilè sibi ipse THEODORVS hæc som-
nia , sine alio augure , explicuit , vocemque cæli
classici